

diceret : Non curro adversus Deum in crassa cervice scuti mei : « Qui prius fui blasphemus , et persecutor , et injuriosus ¹ : sed ideo misericordiam consecutus sum , ut in me ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem in eos qui credituri sunt illi in vitam æternam ². Auferens bella usque ad fines terræ. » Quando autem nos Dominus suscipit , numquid inermes dimittit ? Arma nos , sed aliis armis , evangelicis , veritatis , continentiae , salutis , spei , fidei , charitatis. Hæc arma habebimus , sed non a nobis. Arma autem quæ a nobis habuimus , arserunt : si tamen igne illo Spiritus sancti accensi sumus , de quo dicitur : « Et scuta comburet igni. » Qui potens in te esse cupiebas , infirmum te fecit Deus , ut fortem te faceret de se , quia infirmabar de te.

XIV. Quid ergo sequitur ? « Vacate. » Ad quam rem ? « Et videte quoniam ego sum Deus ³. » Hoc est , Non vos , sed ego sum Deus : ego creavi , ego recreo ; ego formavi , ego reformo ; ego feci , ego reficio. Si non potuisti facere te , quomodo potes reficere te ? Hoc non videt tumultus contentiosus animi humani : cui tumultui contentioso dicitur : « Vacate , » id est , reprimate animos vestros a contradictionibus. Nolite argumentari et tanquam armari et contra Deum : alioquin vivunt arma nondum illo igne combusta. Si autem combusta sunt : « Vacate : » quia non habetis unde pugnetis. Si autem vacaveritis in vobis , et a me petieritis omnia , qui primo de vobis præsumebatis : « Vacate , et videbitis quoniam ego sum Deus. »

XV. « Exaltabor in Gentibus , et exaltabor in terra. » Paulo ante dixeram terræ nomine significari gentem Judæorum , maris nomine cæteras gentes. « Translati sunt » montes in cor maris : conturbatæ sunt gentes , inclinata » sunt regna , dedit vocem suam Altissimus , et mota est

¹ Job. xv, 25. — ² 1 Tim. 1, 13-16. — ³ Psal. xlv, 11.

» terra. Dominus virtutum nobiscum , susceptor noster » Deus Jacob ¹. » Facta sunt miracula in Gentibus , impletur fides Gentium , ardent arma præsumptionis humanæ : vacatur in tranquillitate cordis , ut cognoscatur auctor Deus omnium munerum suorum. Et post istam clarificationem , numquid deserit et plebem Judæorum , de qua dicit Apostolus : « Dico enim vobis , ut non sitis vobis sapientes , quia cæcitas ex parte Israël facta est , donec plenitudo Gentium intraret ² ? » Id est , donec montes huc transferrentur , nubes hic pluerent , hic Dominus tonitruo suo regna inclinaret : « Donec plenitudo Gentium intraret. » Et quid postea ? « Et sic omnis Israël salvus » fieret ³. » Ideo et hic ipsum ordinem servans : « Exaltabor , inquit , in Gentibus , et exaltabor in terra : » id est , et in mari et in terra : ut jam omnes dicant quod sequitur : » Dominus virtutum nobiscum , susceptor noster Deus » Jacob. »

ENARRATIO

IN PSALMUM XLVI.

Sermo ad plebem.

I. DOMINUS Deus noster fidem in qua vivimus , et ex qua vivimus , per libros sanctos , Scripturas sanctas multipliciter nobis varieque diffudit , sacramenta quidem verborum varians , fidem tamen unam commendans. Una enim eademque res ideo multis modis dicitur , ut modo ipso

¹ Psal. xlv, 12. — ² Rom. xi, 25. — ³ Ibid. 26.

dicendi propter fastidium varietur, sed propter concordiam una teneatur. Itaque in hoc Psalmo quem cantatum audivimus, cui cantando respondimus, ea sumus dicturi quæ nostis: et tamen fortassis aliquam, adjuvante et donante Domino, suavitatem allaturi sumus vobis, quando ea quæ alibi et alibi noveratis, etiam commoniti ruminatis. Nam et ipsa ruminatio, in qua significat Deus munda animalia, hoc voluit insinuare, quia omnis homo quod audit, sic debet in cor mittere, ut non piger sit postea inde cogitare: ut quando audit, sit similis manducanti; cum autem audita in memoriam revocat, et cogitatione dulcissima recolit, fiat similis ruminanti. Alio ergo modo eadem dicuntur, et faciunt nos dulciter cogitare quæ novimus, et eadem ipsa libenter audire; quia modus dicendi variatur, et res antiqua ipso modo dicendi renovatur.

II. Titulus Psalmi sic se habet: « In finem pro filiis » Core, Psalmus ipsi David¹. » Filios istos Core habent tituli Psalmorum etiam alii nonnulli, et indicant dulce mysterium, insinuant magnum sacramentum: ubi et nos ipsos libenter intelligamus, et agnoscamus in titulo nos qui audimus et legimus, et tanquam speculo proposito qui sumus intuemur. Filii Core qui sunt? Fuit homo quidam Core nomine², sic enim vocabatur aliquis homo: verumtamen cum leguntur quæ scripta sunt, et invenitur sermo divinus loqui ad quosdam, qui non valde intelliguntur filii esse illius unius hominis qui vocabatur Core; recurrit animus ad mysterium, ut quærat quid significet Core. Quia enim verbum hebræum est, dicitur utique et interpretatur in græcam linguam et in latinam linguam. Et factum est jam, multa nomina hebræa interpretata sunt nobis: et inspicimus, et invenimus Core interpretari

¹ Psal. XLVI, 1. — ² Num. XVI, 1.

calvum. Multo magis attendistis. Obscurum erat cum dicerentur filii Core, nonne obscurius est cum dicuntur filii calvi? Qui sunt isti filii calvi? An forte filii sponsi? Quia sponsus in loco Calvariae crucifixus est. Recolite Evangelium, ubi Dominum crucifixerunt, et invenietis eum in loco Calvariae crucifixum¹. Proinde qui crucem ejus irrident, a dæmonibus tanquam a bestiis devorantur. Nam significavit et hoc quædam Scriptura: Cum ascenderet Propheta Dei Elisæus, clamabant post eum pueri irridentes: « Ascende, calve, ascende calve²: » ille autem non tam crudeliter, quam mystice, fecit illos pueros ab ursis exeuntibus devorari³. Si non devorarentur illi pueri, numquid usque adhuc viverent? aut non possent mortales nati etiam febre intercipi? Mysterium in eis tamen non ostenderetur, ubi posteri terrerentur. Nemo ergo irrideat crucem Domini: Judæi sunt possessi a dæmonibus et devorati. Nam in Calvariae loco crucifigentes Christum, et levantes in cruce, tanquam ipsi dicebant sensu puerili, non intelligentes quid loquerentur: « Ascende, calve. » Quid est enim: « Ascende? Crucifige, crucifige⁴. » Proponitur enim pueritia ad imitandum humilitatem, et item proponitur pueritia ad cavendum fatuitatem. Proposita pueritia ad imitandum humilitatem a Domino est, quando vocavit ad se pueros, et cum prohiberentur ab illo, dixit: « Sinite eos venire ad me, talium est enim regnum cælorum⁵. » Propositum exemplum pueritiæ ad cavendam fatuitatem ab Apostolo est: « Fratres, nolite pueri » esse sensibus. » Et rursus proponit ad imitandum: « Sed malitia infantes estote, ut mentibus perfecti sitis⁶. » Pro filiis Core » Psalmus canitur: ergo pro Christianis cantatus est. Audiamus eum tanquam filii sponsi illius,

¹ Matth. XXVII, 33. — ² 4 Reg. II, 23. — ³ Ibid. 24. — ⁴ Luc. XXII, 21.
⁵ Matth. XVIII, 2, et XIX, 14. — ⁶ I Cor. XIV, 20.

quem pueri insensati in Calvariæ loco crucifixerunt. Illi enim meruerunt a bestiis devorari, nos ab Angelis coronari. Agnoscimus enim humilitatem Domini nostri, et non de illa erubescimus. Non erubescimus de illo appellato mystice calvo, propter Calvariæ locum. Ipsa enim cruce in qua illi insultatum est, non permisit calvam esse frontem nostram, quia eam suo ligno signavit. Denique ut noveritis, quia nobis dicuntur hæc, videte quid dicitur.

III. « Omnes gentes plaudite manibus¹. » Numquid populus Judæorum omnes gentes erant? Sed cæcitas ex parte Israël facta est, ut pueri insensati clamarent: « Calve, calve²; » atque ita Dominus crucifigeretur in Calvariæ loco³; ut sanguine fuso Gentes redimeret, et impleretur quod ait Apostolus: « Cæcitas ex parte Israël » facta est, ut plenitudo Gentium intraret⁴. » Insultent ergo vani et hebetes, et insensati, et dicant: « Calve, » calve: » vos autem sanguine illius redempti, qui fusus est in Calvariæ loco: « Omnes Gentes plaudite manibus, » pervenisse ad vos gratiam Dei. « Plaudite manibus. » Quid est, « Plaudite? » Gaudete. Sed quare « Manibus? » Quia bonis operibus. Ne gaudeatis ore, et cessetis manibus. Si gaudetis, « Plaudite manibus. » Manus gentium videat, qui gaudia donare dignatus est. Quid est, manus gentium? Facta bene operantium. « Omnes Gentes plaudite » manibus: jubilate Deo in voce exultationis. » Et voce, et manibus. Si tantum voce, non bene; quia pigræ sunt manus: si tantum manibus, nec hoc bene; quia muta est lingua: concordent manus et lingua; illa confiteatur; illæ operentur. « Jubilate Deo in voce exultationis. »

IV. « Quoniam Dominus excelsus terribilis. » Excelsus ille; quasi irrisibilis descendendo, ascendendo in coelum

¹ Psal. XLVI, 2. — ² 4 Reg. II, 23. — ³ Matth. XXVII, 33. — ⁴ Rom. XI, 25.

factus est terribilis. « Rex magnus super omnem terram¹. » Non tantum super Judæos: nam et super illos rex. Inde enim et Apostoli crediderunt, inde et multa millia hominum res suas vendiderunt, et pretia ad pedes Apostolorum posuerunt²: et impletum est in illis, quod erat in titulo crucis conscriptum: « Rex Judæorum³. » Rex est enim et Judæorum. « Omnes gentes plaudite manibus: » quoniam rex omnis terræ Deus. » Non enim illi sufficit unam gentem habere sub se: ideo tantum pretium ex latere dedit, ut emeret orbem terrarum. « Rex magnus super omnem terram. »

V. « Subjecit plebes nobis, et gentes sub pedibus nostris⁴. » Quas subjecit, et quibus? Qui sunt qui loquuntur? Forte Judæi? Plane si Apostoli, plane si sancti. His enim Deus subjecit plebes et gentes, ut hodie honorentur in gentibus, qui a suis civibus occidi meruerunt: quomodo Dominus eorum occisus est a civibus, et honoratur a gentibus, crucifixus a suis, adoratur ab alienis, sed pretio factis suis. Ideo enim emit nos, ut alieni ab eo non essemus. Putas ergo voces esse Apostolorum: « Subjecit » plebes nobis, et gentes sub pedibus nostris? » Nescio. Mirum si Apostoli tam superbe loquerentur, ut gauderent gentes esse positas sub pedibus suis, id est, Christianos sub pedibus Apostolorum. Etenim gaudent nos secum esse sub pedibus illius qui mortuus est pro nobis. Nam sub pedes Pauli currebant, qui volebant esse Pauli; et dicebat eis: « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est⁵? » Quid ergo hic? quid accepturi sumus? « Subjecit plebes » nobis, et gentes sub pedibus nostris. » Omnes pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus gentibus sunt, et omnes non pertinentes ad hæreditatem Christi in omni-

¹ Psal. XLVI, 3. — ² Act. IV, 34. — ³ Matth. XXVII, 37. — ⁴ Psal. XLVI, 4. — ⁵ I Cor. I, 13.

bus gentibus sunt, et videtis sic exaltari in nomine Christi Ecclesiam Christi, ut omnes nondum credentes in Christo, sub pedibus jaceant Christianorum. Quanti enim modo currunt ad Ecclesiam nondum Christiani, rogant auxilium Ecclesiae; subveniri sibi temporaliter volunt, etiamsi in aeternum nobiscum regnare adhuc nolunt. Cum omnes quaerunt auxilium Ecclesiae, et qui nondum sunt in Ecclesia, nonne « Subjecit plebes et gentes sub pedibus nostris? »

VI. « Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob » quam dilexit¹. » Pulchritudinem quamdam Jacob elegit nobis hæreditatem suam Jacob. Duo fratres erant Esaü et Jacob, in utero matris ambo confligebant, et de conflictu viscera materna quatiebantur: et ibi cum duo essent, electus est minor, et præpositus est majori, et dictum est: « Duo populi sunt in utero tuo, et major serviet minori². » Per omnes gentes major, per omnes gentes minor: sed minor in bonis Christianis, electis, piis, fidelibus; major in superbis, indignis, peccatoribus, contumacibus, sua peccata defendentibus magis quam confitentibus; qualis etiam ipse populus Judæorum fuit, ignorans Dei justitiam, et suam volens constituere³. Sed quia dictum est: « Major serviet minori: » manifestum est, quia piis subdentur impii, et humilibus subdentur superbi. Prior natus est Esaü, et posterior natus est Jacob: sed qui posterius natus est, prælatus est primo nato, qui per gulam perdidit primogenita sua. Sic habes scriptum: « Desideravit » lenticulam, et ait illi frater ejus: Si vis ut dem tibi, da » mihi primogenita tua⁴. » Ille plus amavit quod carnaliter concupierat, quam quod spiritaliter prius nascendo meruerat: et deposuit primogenita sua, ut manducaret lenticulam. Lenticulam autem invenimus cibum esse Ægyptiorum: nam ibi abundat in Ægypto. Unde magni-

¹ Psal. XLVI, 5. — ² Gen. XXV, 23. — ³ Rom. X, 3. — ⁴ Gen. XXV, 20-34.

ficatur lenticula Alexandrina, et venit usque ad terras nostras: quasi hic non nascatur lenticula. Ergo desiderando cibum ægyptium, perdidit primatum. Sic et populus Judæorum, de quo dictum est: « Conversi sunt corde » in Ægyptum¹, » lenticulam quodam modo desideraverunt, et primatum perdiderunt. « Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit. »

VII. « Ascendit Deus in jubilatione². » Ipse ille Deus noster Dominus Christus ascendit in jubilatione. « Dominus in voce tubæ. » Ascendit: quo, nisi quo scimus? » Quo eum Judæi non sunt secuti, nec oculis. In cruce enim exaltatum irriserunt³, in cælum ascendentem non viderunt. « Ascendit Deus in jubilatione. » Quid est jubiliatio, nisi admiratio gaudii, quæ verbis non potest explicari? Quomodo admirati sunt gaudentes Discipuli, videntes ire in cælum⁴: quem planxerunt mortuum: revera gaudio huic verba non sufficiebant, restabat jubulare quod nemo poterat explicare. Ibi erat et vox tubæ, vox illa Angelorum. Dictum est enim, : Sicut tuba exalta » vocem tuam⁵. » Prædicaverunt Angeli ascensionem Domini: viderunt Discipulos ascendente Domino hærentes, admirantes, stupentes, nihil dicentes, sed corde jubilantes: et vox jam tubæ in clara voce Angelorum: « Viri » Galilæi, quid statis? Hic est Jesus⁶. » Quasi illi non scirent quia ipse esset Jesus. Ante se paulo ante eum non viderant? secum loquentem non audierant? Nempe non solum speciem viderunt præsentis, sed et membra contractaverunt⁷. Ipsi ergo nesciebant quod ille esset Jesus? sed admiratione ipsa præ gaudio jubilationis, tanquam mente alienatis, loquuntur Angeli, « Ipse est Jesus. » Quasi, Si creditis illi, ille est quo crucifixo nutaverunt

¹ Act. VII, 39. — ² Psal. XLVI, 6. — ³ Matth. XXVII, 39. — ⁴ Act. I, 9. — ⁵ Isai. LVIII, 1. — ⁶ Act. I, 11. — ⁷ Luc. XXIV, 39.